



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Meditationes Et Recollectiones Animæ, Per decendialia
Exercitia Deo suo Vacaturæ**

Finetti, Bernardo

Augustæ Vindelicorum, 1690

Appendix.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60556)

lum vocare B. Virginem Mariam, & sanctissimum ejus Filium Christum Jesum, unde nunquam cellâ progrediebantur, aut egrediebantur, nisi genuflexæ, & petitâ prius benedictione: *Nos cum prole piâ benedicat Virgo Maria, vel saltem Ave Maria.* His enim securas se credebant ab omni infestatione, & prolapsu in offensam Dei. Nec frustra, certam enim est, quod talia præstituris divinum auxilium tam opportune sit adfuturum, ut in omnibus vincant, crescant in spiritu & perfectione, ac tandem ad cœlestes agni dapes lætæ avolent.

APPENDIX.

UT securior sis ab omnibus periculis, Anima devota, accelerato gradu contendere ad foramina Petræ, ibique omnes sensus tuos exteriores reconde. *Petra autem est Christus,* foramina sunt sacratissima quinque vulnera, hæc singulis diebus exosculare, & vel unico *Pater & ave* saluta. Optimum erit, si accesseris venerabile Sacramentum, ibique in genua prostrata quinque diversis vicibus: Manè dum surgis, ante & post Missæ Sacrificium, post mensam, & sub vesperam recites salutationem supra notatam: *Ave Domine Jesu Christe &c.* tum subjungas I. in honorem sacratissimi vulneris in latere accipri semel *Pater & Ave,* ut gratiam tibi concedat,

dat, refranandi linguam tuam, quia *ex abundantia cordis os loquitur*. II. In honorem SS. vulneris dexteræ, idem facies & petes gratiam refranandi *gulam*, cum hæc sit lapis lydius, quem Dæmon suis technis præstituit, quo dexterius animas in viam sinistram & reprobam abducatur, hac autem superatâ omnes sensus promptiores sint ad extirpanda vitia & comparandas virtutes; qui enim *fraverit gulam suam, reliqua vitia facile superabit*. In sinistrâ petes gratiam de nullo sinistrè judicandi, sed quidquid videris in optimam partem interpretandi, & semper oculos tuos ad te ipsum reflectendi conformiter monito Christi: *Nolite judicare, & non judicabimini*. In dextro pede adorabis perfectam Christi obedientiam, petesque gratiam abnegandi proprium iudicium, moxque ut audieris Superiorem, obtemperandi. In sinistro pede veneraberis generosam Christi constantiam in maximis etiam doloribus, & petes gratiam, *currendi in odorem unguentorum ejus*, id est, plurimorum exemplorum, quibus tibi præluxit ad omnem in quibuscunque adversitatibus generosam patientiam, tametsi enim hæc ipsa patientia mundanis fuerit stultitia, atque adeò via sinistra, æternæ tamen sapientiæ erat via rectissima, quâ æterno Patri placeret, desideratamque de inimicis victoriam gloriosissimè reportaret.